

autem prope equum Domitiani. Plinius lib. natural. histor. xxxiiij. cap. vij. ait, Ianus Geminus à Numa rege dicatus, qui pacis, bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, vt trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per significationem anni temporis, & xui se Deum indicaret. Herodianus dicto lib. primo, imaginem Iani bifrontem ideo sic effectam refert, quia ab eo incipit & in eundem definit annus. Nunc afferre diuerfas in Bifrontis Iani imaginem sententias operæpretium est, vt quæ potior fuerit arripi possit. Seruius grammaticus in xij. Æneid. ait, Romulum & Titum Tatium cum in fœdera conuenirent, simulachrum duplicis frontis effecisse, quasi ad duorum populorum imaginem. Dictus est etiam geminus Ianus, quòd præterita & futura respicere existimaretur. Ouidius in Fastis meminit. Ast Alciatum audiamus, qui ita scribit in Emblematis. Prudentes, Problematis.

*Iane bifrons, qui iam transacta futuraq; calles,*

*Quiq; retro sannas sicut & antè vides.*

*Tot te cur oculis, tot fingunt vultibus? an quòd*

*Circumspectum hominem forma fuisse docet.*

Plutarchus autem in problemate, supra nominato, scribit, eum fuisse Græcum Perrhæbum & in Italiam venisse, & linguam cum victu commutasse, Italosque agrestes ciuiles mores docuisse. Sed iam nunc Platoniorum sententiam afferamus, vt altius introspectatur, plerunque esse diuina, quæ ad homines transferuntur à Poëtis. Ioannes igitur Picus ille Mirandulanus, vir diuinus, in commentario cantionis Hieronymi Beniuenij, ita de Iano Mystico profatur in lib. ij. materno quidem sermone, sed in hunc sensum à nobis Latine reddito. Sciendum animas cælestes talem in se perfectionem habere (vt aiunt Platonici) vt simul satisfacere possint vtrique muneris, nempe proprium corpus regere ac administrare, nec ob hoc ab intellectuali contemplatione rerum superiorum recedere. Hæc animæ à multis poëtis per Ianum bifrontem significatæ fuerunt. Quoniam oculatæ, veluti illæ in anteriori & posteriori parte, possunt & simul cernere intelligibilia, & sensibilibus prouidere. Verùm cæteræ animæ imperfectiores remanent, quæ oculos non habent, nisi in vna earundem parte. Quòd si se vertant cum illa eadem parte, in qua oculatum corpus habent, necesse est, quòd altera, quæ sine oculis extat, se vertat ad intellectum, & ita illæ priuantur rerum intellectualium visione. Similiter si ipsæ vertant oculos ad intellectum, amplius nequeunt corpori necessaria prouidere, cogunturque eius curam relinquere. Hisque rationibus fit, vt illas animas, quæ propter curam corporis coguntur bona intellectus dimittere, diuina prouidentia eadem caducis corruptibilibusque corporibus coniunxerit & alligauerit, vt ab his solutæ possint breui tempore (si per eas non stet) ad intellectualem propriam felicitatem reuerti, &